

*De serie evangelistarum*, vario genere carminis, libri XV.

*Commentarii in threnos Jeremiæ*, libris IV ms. in bibl. Cottoniana.

*De miraculis B. Mariæ Virginis*, libri IV. *De miraculis S. Andree*.

*De indigenarum sanctorum miraculis*.

*Epitome historiæ Haimonis, Floriacensis monachi*, s. Justiniano ad Carolum M. ms. in bibliotheca collegii Baliolensis, Oxon. et in Bodleiana.

*Genealogia Henrici II regis Angliæ*.

*Itinerarium Joannis abbatis Meldunensis*, Romam cum Petro monacho Meldunensi profecti; multis plane, Lelando teste, rebus memorabilibus referunt.

*De antiquitate Glessoburgensis monasterii*, ad Henricum Soliacum Wintoniensem episcopum. *Baleo Antiquitates Glasconiæ*, mss. in bibl. collegii S. Benedicti Cantabrig.

*Vita Indracti, Hiberniæ reguli*, qui S. Dunstani discipulus fuit.

*Vita S. Patricii*, libri II ad monachos Glassoburgenses. *Vita S. Benigni, S. Dunstani*, libris duobus.

*De gente Wydenorum sive Yugdenoram. Chronicorum libri III*, quorum meminit, præf. ad Historiam novellam.

*Sermones et Epistolæ*.

Ex abbreviatione librorum Amalarii *De officiis ecclesiasticis* ms. in biblioth. Lambethana locum affert H. Warthon pag. 360 Auctarii ad Usserum de sacris Scripturisque vernaculis. Præfationem Rabano Mauro parum æquam, ad Robertum amicum, (nescio an diversum a Glocestriæ comite) in cujus gratiam hunc laborem in se suscepit, et epilogum primi ultimique libri edidit Petrus Allixius in calce præfationis ad Determinationem Joannis Parisiensis de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris. Lond. 1686, 8.

## CL. V. HENRICI SAVILII

### EPISTOLA NUNCUPATORIA.

(*Rerum Anticarum Scriptores post Bedam præcipui*, Londini 1596, fol.)

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQUE PRINCIPI

**ELIZABETHÆ**

ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGINÆ.

Historiæ nostræ particulam quidam non male, sed qui totum corpus ea fide eaque dignitate scriptis complexus sit, quam suscepti operis magnitudo postulare, hactenus plane neminem existisse constat. Nam Polydorus, ut homo Italus, et in rebus nostris hospes, et (quod caput est) neque in rep. versatus, nec magni alioqui vel iudicii vel ingenii, pauca ex multis delibans, et falsa plerumque pro veris amplexus, historiæ nobis reliquit cum cætera mendosam, tum exiliter sane et jejune conscriptam. Nostri ex face plebis historici, dum majestatem tanti operis ornare studuerunt, putidissimis ineptiis contaminarunt. Itaque factum est nescio qua hujusce insulæ infelicitate, ut majores tui, serenissima Regina, viri maximi, qui magnam hujus orbis nostri partem imperio complexi, omnes sui temporis reges rerum gestarum gloria facile superarunt, magnorum ingeniorum quasi lumine destituti, jaceant ignoti et delitescant. Cui malo dum medicinam quærerem, neque ita essem vel animo vacuus, vel ab illis subsidiis et quasi instrumentis historiæ scribendæ instructus, ut opus a fundamentis exstruerem victurum, serisque nepotibus temporum illorum memoriam transmissurum, feci tamen, quod potui, non invitus, ut ex situ et squalore pulvereque eruerem, et in lucem primus emitterem vetustissimos rerum nostrarum auctores, non illos quidem laudandos, sed fidos rerum gestarum interpretes, eo consilio ut alii, qui et otio abundarent et ingenio, hos quasi ad manum haberent rerum nostrarum commentarios, unde sumerent quæ ad tanti operis exedificationem pertinerent. Inter quos cum et narrationis fide et iudicii maturitate principem locum teneat GELIELMUS MALMESBURIENSIS, homo, ut erant illa tempora, litterate doctus, qui septingentorum plus minus annorum res tanta fide et diligentia pertextit, ut e nostris prope solus historici munus exlesse videatur; hunc mihi cum primis e tenebris eruendum tuoque augustissimo nomini inscribendum curavi, ut qui olim sæculorum aliquot obscuritatem ingenii sui lumine discussit, nunc vicissim redivivus a serenissima Majestate Tua lucem et splendorem mutuetur. Huic proximi, sed longo forsitan intervallo proximi Henrici Andoniensis, et Hovedenus, auctores cum primis boni et diligentes, vicissimque superiorum temporum indices; quibus Ingulphum a plurimis antiquitatum nostrarum sitientibus magno opere desideratum adjecimus, et, qui majores tuos propinquo affinitatis gradu contingit, nobilitatis non minus quam antiquitatis causa Elwardum. Jam vero non id agam, ut longiore oratione, cur in tuo potissimum nomine hoc quantumcunque operis apparere voluerim, ostendam; neque rem per se exilem verborum amplitudine ornabo. Nam si, quod a philosophis accepimus, dissimilis sit munerum et debitorum conditio, quod in muneribus magnarum quibus offeruntur habenda ratio, debita vero vel minima maximis quibusque sunt persolvenda, quid me hac in causa facere æquum fuit, quem divinis majestatis tuæ virtutibus jampridem in tui obsequium et admirationem raptum, ita porro summis tuis beneficiis devinxisti, ut me meaque omnia non usa

solum et fructu, sed mancipio etiam ac nexu tua esse libentissime agnoscam? Et vero si recte ratiocinamur, cui potius Britannorum, Saxonum, Normannorum res gestas offerre debui, quam Majestati Tuæ, quæ non modo quas singuli singulas ditiones obtinuerunt, has una universas hæreditario jure adisti, verum etiam omnes istorum omnium virtutes animo plane heroico es complexa? quæ sola tot annos in communiibus Europæ totius tempestatibus dulcissimæ patriæ tuæ beatissimam tranquillitatem infudisti: quæ denique sola, quid in summa potestate summa bonitas possit, tuo nos exemplo docuisti. Sed alterius sunt hæc operis, alterius temporis. Interim vero serenissimam majestatem tuam supplicissime rogatam volo, ut quem hactenus beneficiis tuis quam amplissimis ornatum esse voluisti, eum deinceps regia tua et benignitate complecti, et auctoritate tueri digneris. Deus optimus maximus Majestatem Tuam nobis reique publicæ Christianæ quam diutissime incolumem conservet.

Serenissimæ Majestatis Tuæ devotissimus

HENRICUS SAVILE.

# WILLELMI MALMESBURIENSIS MONACHI GESTA REGUM ANGLORUM

ATQUE

HISTORIA NOVELLA.

Ad fidem codicum mss. recensuit

**THOMAS DUFFUS HARDY.**

(Londini, sumptibus Societatis, 1840, in-8°, 2 vol.)

## PRÆFATIO.

Quod de Willelmi Malmesburiensis monachi vita compertum habemus, quibus parentibus ortus (7), non aliunde notum nisi ab ipso passim allatis. Patrem genere Normannum et matrem Saxoniam innuere videtur lib. 1 *Gestorum regum*, inquiens: « Quia utriusque gentis sanguinem traho; » et circa libri 11 finem: « Nec hæc dicens virtuti Normannorum derogo, quibus tum pro genere, tum pro beneficiis fidem habeo. » De anno quo natus sit nihil constat (8).

Malmesburiensis majorem suæ vitæ partem exegisse videtur inter claustra monasterii de quo illi nomen; omne tempus quod in religiosis monasticisque officiis non expendebatur, litteris scientiæque devovens.

(7) Lelandus, Cavus, Tannerus, Warthon et alii asserunt ejus familiæ nomen fuisse *Somerset*, sed eorum sententia nulla stat firma auctoritate.

(8) In *Commentario in Jeremiam* Malmesburiensis notat se « multo ante, in diebus juventutis suæ, in scribenda historia quasi ludendo versatum fuisse, seque tunc temporis quadragesimum ætatis annum attigisse. » Alias quædam narrat quæ in diebus Henrici regis evenerant; unde deduci potest Henricum jam e vita sublatum. Nunc, posito quod verba *multo ante* decem annorum lapsum innuant, cum ejus regum et pontificum Historiæ in anno 1125 absolutæ fuerint, quæ hic referuntur juxta annum 1135 scripta esse oportet, tempore quo Henricus e vivis est sublatus, unde Willelmum circa annum 1095 aut 1093 natum statuendum esset. Sic ratiocinatur Sharpius; sed nulla hic adest satis firma ratio Malmesburiensis ortum, sive ad unum sive ad alterum ex his annis referendi. Hypothesis quod Henricus rex nuper admodum defunctus esset, ex qua fluit supradicta deductio, vix allatis testimoniis constare videtur. Hoc tamen clare patet, nempe, auctorem Historiæ in quam præstantissimi præsentis ætatis critici maxima eruditionis et judicii encomia profuderunt, vix annis viginti quinque natu majorem præcipuam operis sui partem absolvissæ.